

Philippenses : *In omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum*, hoc manifeste præcipit, ut sive bonorum adeptionem, sive a malis liberationem cupiamus et precemur a Deo, semper jungamus petitionem cum gratiarum actione, id est, ita petamus futura, ut pro præteritis agere gratias numquam obliviscamur.

Existimo denique, per obsecrationes, Græce *δέησις*, recte Theodoretum et Augustinum locis citatis accipi voluisse deprecationes malorum. Nam vox illa a verbo *δέομαι* descendit, quod est indigere : ille autem maxime indiget ope divina, qui malo aliquo premitur. Item per orationes recte eosdem auctores intellexisse petitiones bonorum : non enim in Græco est, *εὐχὴ*, ut Cassianus legisse videtur, qui interpretatur vota, sed *προσευχὴ*, quod orationes significat. Nam (ut scribit Gregorius Nyssenus, oration. 2. de oratione Dominica) ideo oratio, qua boni aliquid petimus, dicitur *προσευχὴ*, quoniam votum dicitur *εὐχὴ*, et illi cum fiducia petunt a Deo bona, qui illi antea boni aliquid devoverunt. At per postulationes non existimo cum Theodoro, significari hoc loco accusationem adversariorum, sed cum Augustino simpliciter postulationem. Nam etiamsi vox Græca *ἐντεύξις* significet interpellationem pro aliquo, vel contra aliquem ; tamen quia omnis interpellans petit, immo ideo interpellat ut petat, recte S. Augustinus loco notato monet, vicinitate vocabuli unum pro alio poni solere, neque corrigendum esse textum Latinum, qui non habet interpellationes, sed postulationes.

Addo quod in epist. ad Philipp. cap. iv. ubi obsecratio, oratio et gratiarum actio iisdem Græcis verbis exprimuntur, quibus in epist. priore ad Timoth. cap. ii. solum nomen postulationis variatur. Non enim est *ἐντεύξις*, sed *αἰτήματα*, quod proprie petitionem, vel postulationem significat. Ubi videtur Apostolus explicare voluisse uno in loco id, quod dixerat in alio.

Addo etiam quod interpellatio contra aliquem, comprehenditur in obsecratione, quæ est deprecatio malorum, sicut interpellatio pro aliquo, in oratione, quæ est precatio bonorum ; ut non fuerit opus distinguere tria membra, cum duo sufficerent.

Addo denique auctoritatem Latini inter-

(1) Joan. III, 3; Joan. VI, 54.

pretis antiquissimi, qui non sine causa verbum *ἐντεύξις*, hoc loco postulationes, non interpellationes reddendum esse iudicavit.

CAPUT III.

De necessitate et utilitate orationis.

Sequitur pars tertia disputationis propositæ, quæ erat de necessitate, vel utilitate orationis. Multi fuerunt, ac sunt errores de fructu orationis, qui facili negotio recenseri et refutari poterunt.

Primum igitur non defuerunt olim tum ethnici, tum hæretici, qui nimis multum orationi tribuerent. Refert enim S. Thomas in lib. iii. contra Gentes cap. 96. errorem ethnicorum quorundam, qui arbitrabantur, per orationes hominum mutari posse providentiam Dei. Refert quoque Theodoretus lib. iv. Hist. cap. 10. et lib. iv. de fabulis hæreticorum, Messalianos hæreticos usque adeo extollere solitos orationem, ut existimarent, per eam solam vere justificari homines. Sacramenta vero, præsertim Baptismum, et Eucharistiam nihil prodesse. Unde etiam Euchitæ dici meruerunt.

Sed hic error nullo negotio refutari potest. Deum enim esse prorsus immutabilem, non solum docet Scriptura divina, Numer. xxiii. I. Reg. xv. Malach. iii. et Jacobi. sed etiam manifesta ratio. Nam si Deus ulla ratione mutationi esset obnoxius, non esset simplex, neque infinitus, neque æternus, ac per hoc esset creatura, non Deus. Vide S. Thomam in 1. par. quæst. 9. art. 1. Non igitur potest humana oratio providentiam illius invertere, aut mutare apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et si absque Sacramentis a Christo institutis, possent homines per solas preces justificari, atque salvari, non diceret idem Salvator : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Joan. iii. Neque diceret : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis* (1). Joan. vi. Non igitur sola oratio sufficit ad salutem.

Alter error, et quidem superiori contrarius, est eorum, qui nimium extenuant fructum orationis. In quo numero reponendi sunt in primis ethnici illi, qui tollebant e-

medio providentiam Dei erga res humanas, ut Epicurei, teste Marco Tullio, in lib. i. de natura. Deorum, ut Peripatetici, teste Clemente Alexandrino lib. v. Strom. et S. Ambrosio, lib. i. de Officiis cap. 13, ut illi, qui Epicurum, et Aristotelem præcesserunt, qui in libro S. Job cap. xxii. dixisse leguntur : *Circa cardines cæli ambulat, nec nostra considerat* (1). Isti enim omnes orationis studium non solum extenuant, sed etiam penitus tollunt. Quid enim prodest orare Deum, si nostra non curat?

Ad horum errorem accedunt hæretici Pelagiani, qui si non utilitatem, certe necessitatem orationis tollebant, cum dicerent, posse homines suis viribus bene vivere, servare mandata, gratiam Dei, et gloriam promereri. Quare S. Augustinus, tum in libro de hæresibus cap. 88. tum in epistol. 106. ad Paulin., inter præcipuos Pelagianorum errores posuit, quod destruerent orationes Ecclesiæ.

In similem errorem incidit postea Joan. Wiclef, qui teste Thoma Waldensi tom. 3. cap. 1. et 2. docebat, Deum non requirere a nobis cogitationem, aut vocem, sed bonis operibus esse contentum. Idem etiam cum diceret, tria esse genera orationis ; aliam enim esse orationem mentalem, aliam vocalem, aliam vitalem ; in oratione vitali, id est, in operibus bonis omnia comprehendendi, et ipsam solam sine mentali et vocali ad salutem sufficere, contendebat.

Denique in hoc errantium numero jure collocari posse videtur quidam Joannes Monhemius ex grammatico ludimagistro theologus Lutheranus, qui in suo catechismo, tractatu de oratione, scribit, Deum id petentibus dare, quod etiam alias daturus esset, etiamsi non peteretur. Ex quo sequitur, ut non solum non necessaria, sed etiam supervacanea videatur oratio.

Adversus omnes istos errores pugnat Evangelica illa sententia, Lucæ xviii. *Oportet semper orare, et nunquam deficere.* Item illud cap. xxi. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia.* Item illa Apostolica, I. Thessal. ultim. *Sine intermissione orate.* Quibus non dissimilis est illa sapientis, Ecclesiast. xviii. *Non impediatis orare semper* (2). Hæc enim, et alia, quibus plena est Scriptura divina, apertis-

sime docent omnino necessariam esse orationem, neque esse committendum, ut alia vitæ hujus negotia a studio rei tam necessariae nos impediunt.

Neque responderi potest, prædicta testimonia referenda esse ad necessitatem solius orationis vitalis, ut loquitur Wiclef. Nam Dominus in Evangelio Luc. xviii. cum dixisset : *Oportet semper orare, et nunquam deficere* : explicaturus de quo genere orationis intelligi vellet sententiam suam, narravit parabolas duas. Unam de vidua, quæ importunitate petendi extorsit a iudice, alioqui injusto et sævo, justam sententiam. Aliam de Pharisæo et Publicano orantibus in templo. Et rursus Luc. xi. cum vehementer commendaret studium orationis, narravit aliam parabolam de quodam, qui ab amico tres panes petiit importunissimo tempore, et tamen accepit quod petiit, non quia esset amicus, sed quia non destitit petere, donec acciperet. Quæ omnes parabole clarissimæ sunt, et omnium iudicio orationem proprie dictam, non autem metaphoricam, qualis est vitalis, necessariam esse demonstrant.

Præterea ut bene vivamus, fieri non potest sine auxilio Dei, cum scriptum sit, Joan. xv. *Sine me nihil potestis facere.* Et II Corinth. iii. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (3). Igitur auxilium Dei per orationem proprie dictam petere necesse habemus, si vitalem orationem exercere, id est, si bene vivere desideramus. Quare non sola vitalis oratio, sed etiam mentalis et vocalis necessariae sunt, et de iis verba Domini, et Apostoli intelligi debent.

Quod autem Monhemius dicit, auxilium Dei non defuturum, etiamsi illud minime petamus, cum Deus illa det petentibus, quæ non petentibus etiam daturus erat, repugnat manifestis Scripturæ testimoniis. Nam quod legimus in Psal. cv. *Et dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione, in conspectu ejus* (4), satis aperte demonstrat, ita liberatum fuisse populum ab ultimo exitio per orationes Mosis, ut si Moses non orasset, universus populus periturus fuisset. Illud etiam quod ait Dominus Matth. xvii. *Hoc genus demoniorum non ejicitur nisi in oratione et jejuniis* (5), nonne aperte indicat, beneficia quædam impetrari per orationem

(1) Job. XXII, 14. — (2) Luc. XVIII, 1; ibid. XXI, 36; I Thess. V, 17; Eccl. XVIII, 22. — (3) Joan. XV, 5; II Cor. III, 5. — (4) Psal. CV, 23. — (5) Mat. XVII, 20.

et jejunium, quæ sine oratione et jejunio minime impetrarentur? Quod vero S. Jacobus in epistola sua cap. iv. docet: *Non habetis, propterea quod non postulatis: petitis, et non accipitis, eo quod male petatis* (1); certe manifestius esse non potuit.

Quibus testimoniis congruens est illud S. Augustini, in serm. 1. de S. Stephano: « Si Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet ». Et illud in lib. ii. de bono perseverant. cap. 16. « Constat Deum alia danda non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam ». Ex quo loco intelligimus quæ causa sit, cur Deus quædam beneficia concedat orantibus, quæ alioqui minime concessurus erat; et tamen per orationes divina providentia non mutetur. Nam sicut Deus jam ab æternitate statuit quid nobis donare velit, sic etiam statuit per orationes nobis ea donare. Atque id tam in corporalibus, quam in spiritualibus beneficiis. Quia enim Deus constituit dare nobis frumentum et vinum: et simul constituit id nobis præstare per humanos labores, quibus agri, vineæque coluntur: nemo est qui neget necessarium esse arare ac serere, plantare ac fodere, et alia id genus facere, si metere, et vindemiare velimus: etiamsi Deus quos fructus, et quantos nobis dare velit, ab æternitate decreverit.

Sic etiam Patriarcha Isaac, tametsi sciebat ex divina promissione in semine suo benedicendas omnes gentes, ac per hoc prolem aliquam se habiturum dubitare non posset, oravit tamen Deum pro sterilitate conjugis suæ, ut legimus in Genes. xxv. Quoniam illud etiam sciebat, multa Deum promittere, quæ per orationes a se impetrari velit, ut S. Gregorius annotavit in lib. i. dialogor. cap. 8.

Et Elias propheta, cum Dei nomine pluviam promisisset regi, et certo sciret, falsum esse non posse quod Deus promittit: anxie tamen Deum precari cœpit pro pluvia impetranda, III Reg. xviii. quia noverat, pluviam quidem donandam esse a Deo, sed non nisi per orationes suas esse donandam.

Denique Tobia cap. vi. angelus Raphael dicit, Saram Tobia juniore a Deo destinatum esse uxorem: et tamen eundem Tobiam admonuit, ut Deum precaretur, ne se a dæmone illo pateretur occidi, a quo necatos

fuisse constabat alios omnes, qui cum eadem Sara conjugio copulari tentaverant. Nimirum indicavit Angelus, conscius Dei secretorum, præordinatum fuisse a Deo conjugium Tobia et Sarae, sed non nisi per orationes eorum divinam illam præordinationem fuisse complendam.

Postremus error circa necessitatem orationis est hæreticorum hujus temporis, ut Philippi Melancthonis in Locis communibus, titulo de precatione, ut Joannis Calvini lib. iii. Institut. cap. 20. §. 3. Joannis Brenthii, in Confessione Wirtembergensi, cap. de oratione, et aliorum omnium, qui quamvis orationis studium maxime facere se jactent, tamen præcipuos ejus fructus negant, immo nihil fere utilitatis orationi relinquunt.

Tres enim sunt primarii fructus orationis, satisfactio, meritum, impetratio. Ex quibus duobus priores adversarii funditus tollunt, ut ostendimus in quarto libro de Pœnitentia, et in libro quinto de Justificatione. Tertium mutilant, si non tollunt. Nam ex iis bonis, quæ precibus impetrantur, præcipuum est remissio peccatorum, ac justificatio. Hunc autem fructum omnes hujus temporis hæretici orationi detrahunt, cum illam soli fidei, quæ orationem præcedit, attribuant.

Reliqua bona fatentur orationibus impetrari, si oratio fundatur ex fide: sed quia per fidem intelligunt fidem illam suam specialem, qua unusquisque certo credere debet, se gratum esse Deo, sibi que non imputari peccata, quæ fides vera haberi non potest, inde fit, ut conditionem plane impossibilem ad impetrandum requirant, ac per hoc nihil omnino orationi relinquunt. Sed quoniam fundamenta hujus erroris alibi sunt a nobis pro nostrarum virium tenuitate satis diligenter eversa: nunc solum præcipuos fructus orationis indicabimus, et ex divinis litteris breviter confirmabimus.

Primus igitur fructus est satisfactio pro peccato, de quo diximus in lib. iv. de Pœnitentia cap. 6. Et sane, si quis concedat opera bona laboriosa, satisfactoria esse pro peccatis, numquam negabit, quin sit oratio inter illa opera numeranda, cum satis constet, orationem non tantum bonam, sed etiam laboriosam esse, atque pœnalem. Quæ causa est ut fere semper jejunio, et eleemosynæ adjungatur, cum de satisfactionibus agitur.

Secundus fructus est meritum. Oratio

(1) Jacob. IV, 2.

enim sive impetret quod postulat, sive non impetret, semper est meritoria majoris gratiæ et gloriæ, quando ab homine justo, et sicut oportet, funditur. Cujus rei testimonium habemus in Evangelio, Matth. vi. *Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* (1). Quo loco Dominus ostendit, orationem esse opus bonum, cui, si bene fiat, debetur merces a Deo; ex quo fit, ut etiam sit meritoria, cum merces merito juste proprieque respondeat.

Tertius fructus est impetratio, ac primum oratione impetrari remissionem peccatorum, docemur in oratione Dominica: non enim juberet nos Dominus dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, si remissio debitorum per orationem impetrari non posset. Quod idem testatur parabola Publicani et Pharisæi Luc. xviii. *Publicanus enim orans et dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, descendit in domum suam justificatus* (2).

Nec solum remissionem peccatorum, sed multa alia beneficia, imo etiam pene omnia, quæ nobis necessaria, vel utilia sunt, per orationem a Domino impetramus. Nam (ut recte animadvertit S. Joannes Chrysostomus, in duobus libellis de oratione) sicut in rebus corporalibus homo nascitur nudus, et egens rebus omnibus, sed habet manus, quæ satis apposite organum organorum propterea dici meruerunt, eo quod per eas reliqua omnia instrumenta confici, et cibus, vestis, domus, arma, quicquid humanæ vitæ necessarium est facile parari queat; sic etiam in vita spirituali nihil omnino potest homo sine ope divina, non solum operari, sed nec loqui, aut cogitare: sed habet organum organorum, id est, orationem, qua, si bene utatur, omnia sine dubio obtinebit.

Præter has tres primarios fructus, sunt etiam alii permulti, quasi secundarii. Nam oratio frequens mentem illustrat; neque enim fieri potest, ut aliquis cordis oculos in Deum, qui lux est, intente defigat, quin ab eo aliquantulum illustretur. In cujus rei signum Moses rediens a colloquio Domini, frontem gerebat mirifica luce fulgentem,

(1) Mat. VI, 5. — (2) Luc. XVIII, 13. — (3) Psal. XXXIII, 6.

Exod. xxxiv. Et David ait: *Accedite ad eum, et illuminamini* (3), Psal. xxxiii.

Deinde, oratio, spem et fiduciam alit; quo enim aliquis cum alio frequentius loquitur, eo fidentius ad eum accedit.

Tertio, inflammat etiam oratio charitatem, et mentem ad majora dona recipienda capaciores reddit, ut S. Augustinus docet, in lib. ii. de serm. Domini in monte cap. 7.

Quarto, auget humilitatem, et castum timorem. Nam qui ad orationem accedit, intelligit, se Dei esse mendicum, ac per hoc humiliter coram eo apparere studet, et diligentissime cavet ne illum offendant, cujus auxilio in rebus omnibus indiget.

Quinto, gignit oratio frequens in animo orantis contemptum rerum omnium temporalium. Neque enim fieri potest, ut non vilescant, et sordeant terrena omnia illi, qui cœlestia, atque æterna assidue speculatur. De qua re vide S. Augustinum lib. ix. confess. cap. 1. et 10.

Sexto, parit oratio delectationem incredibilem, cum per eam fiat, ut incipiat homo gustare, quam suavis sit Dominus. Quanta autem sit hæc suavitas, vel ex eo potest intelligi, quod nonnullos non solum pernoctare, sed etiam dies integros cum integris noctibus in oratione conjungere sine labore potuisse novimus.

Denique, præter utilitatem et voluptatem, adfert etiam oratio dignitatem, atque honorem non exiguum oranti. Nam (ut S. Chrysostomus docet, in i. libro de orando Deo) ipsi etiam Angeli animam illam honorant, quam cernunt tam familiariter, et crebro ad colloquium divinæ Majestatis admitti.

CAPUT IV.

De excellentia orationis Dominicæ.

Jam vero quid sit in oratione petendum, quod erat quartum caput propositæ disputationis, non possumus brevius et plenius explicare, quam si Dominicam orationem plenissime exponamus. Nam (ut sanctus ait Augustinus in epist. 121. cap. 12) « quamlibet alia verba dicamus, nihil aliud dicimus, quam in ista Dominica oratione positum est, si recte et congruenter oramus ». Igitur orationem Dominicam ex Patrum sententia

explanabimus, si de excellentia ejus, de numero et ordine petitionum, pauca quædam solita brevitate præfati fuerimus.

Quod ad excellentiam attinet, præstat oratio Dominica omnibus aliis formis orandi, auctoritate, brevitate, perfectione, ordine, efficacia, necessitate.

Auctoritate, quoniam ab ipsa Dei sapientia condita est: proinde non solum nullus hominum, sed nec ullus Angelorum melius potuit nos instituere in ratione orandi, quam Christus fecerit.

Brevitate etiam præstat, quoniam pro magnitudine et multitudine rerum, quas continet, non poterat oratio fieri brevior. Est autem utilis hæc summa brevitatis, tum ad memoriam adjuvandam, ut notat S. Cyprianus, tum etiam, ut monuit Tertullianus, ut intelligamus non multis verbis opus esse, cum oramus Deum, qui scit quid velimus antequam petamus, sed ingenti desiderio et ferventi affectu.

Præstat quoque perfectione, quoniam omnia comprehendit, quæ a Deo nos petere vel necessarium, vel utile est, ut paulo ante ex Augustino didicimus. Addit vero Tertullianus, orationem Dominicam esse quasi breviarium Evangelii, quia dum hanc orationem fundimus, simul admonemur quid credere, quid sperare, quid amare, quem colere, quid agere, quid fugere, quid appetere, quid contemnere debeamus, ut hic maxime locum habeat, quod Coelestinus scribit in epistol. ad Gallos cap. 11. « Legem credendi, adde, et operandi, lex statuit supplicandi ».

Ordine præstat, quoniam divina plane methodo postulare docemur, primo quæ ad gloriam; deinde quæ ad salutem nostram pertinent, et in iis primum æterna, deinde temporalia.

Efficacitate, sive utilitate præstat, quoniam (ut recte notat S. Cyprianus) nihil potest Deum Patrem magis movere, quam oratio filii ejus. Neque ullus melius novit, quæ sit oratio efficacior apud Deum, et quibus bonis nos potissimum egeamus, quam is, quem Deus advocatum nostrum, patronumque constituit. Denique si quicquid petitur in nomine Christi, facile impetratur, ut dicitur Joan. xvi, quanto facilius impetrabitur, quod non solum in nomine Christi, sed etiam verbis Christi postulabitur?

Præstat demum etiam necessitate, quoniam nulla est alia forma precandi, quam

omnes Christiani conceptis verbis tenere, et frequentare jubeantur, nisi ista. In constitutionibus Apostolicis, lib. vii. cap. 23. moventur Christiani omnes, ter quolibet die orationem hanc fundere. Item in Concilio Toletano IV. can. 9. jubemur, nullo unquam die orationem hanc intermittere, quam non sine ratione SS. Patres Cyprianus serm. 6. et Augustinus in Enchiridio cap. 71. quotidianam vocaverunt. Denique in Concilio Remensi cap. 2. docemur, non licere homini Christiano Dominicam orationem, aut non tenere memoria, aut non intelligere, aut non frequentare.

Addi potest alia excellentia, quod hanc orationem veteres Patres summo studio explicarunt. Vide Tertullianum in libro de oratione, qui est postremus inter ejus opera. Cyprianum in serm. 6. qui est de oratione Dominica. Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 5. Mystagogica. Ambrosium lib. v. de Sacramentis, cap. 4. Gregorium Nyssenum, in quinque orationibus de oratione Dominica. Hieronymum in comment. ad cap. vi. Matth. Joan. Chrysostomum in commentar. ejusdem capituli, et in hom. de oratione Dominica. Augustinum in epistol. 121. ad Probam, cap. 11. In Enchir. cap. 115. lib. ii. de serm. Domini in monte, cap. 8. et seq. serm. 28. de verbis Domini, hom. 42. ex lib. l. homiliarum sermon. 126. 135. et 182. de tempore. Joan. Cassianum collat. 9. cap. 18. et sequentibus. Petrum Chrysologum sermon. 67. et seq. Bernardum serm. 6. de Quadragesima. Innocentium Papam lib. v. de mysteriis missæ, cap. 17. Denique comment. in cap. vi. Matthæi, vel xi. Lucæ, Theophilacti, Euthymii, Bedæ, Anselmi, Ruperti, Thomæ, Bonaventuræ, Alberti, et aliorum.

CAPUT V.

De numero et ordine petitionum orationis Dominicæ.

Petitiones orationis Dominicæ septem esse communis habet sententia veterum et recentiorum: paucissimis tantum exceptis, in quibus sunt Tertullianus, in lib. de oratione, et Joannes Calvinus in lib. iii. Institut. cap. 20. §. 33. qui sex tantum esse contendunt, revocantes ad unam petitionem omnia illa verba: *Et ne nos inducas in tentationem, sed*

libera nos a malo. Sed Tertulliano, ut ait S. Hilarius can. 5. in Matthæum, consequens error abstulit auctoritatem: et Calvinus, quod sit hostis Ecclesiæ manifestus, indignus est, cujus ratio habeatur, nisi forte sit ejus refellenda sententia.

Septem igitur esse petitiones orationis Dominicæ disertis verbis docent Augustinus, Anselmus, Rupertus, Innocentius, Thomas, Bonaventura supra citati. Reliqui veteres Cyprianus, Cyrillus, Nyssenus, Chrysostomus et alii non laborant de numero; sed ita tamen orationem tractant, ut satis aperte significant in septem petitiones esse divisa.

Quare falsum est, nisi mendacium etiam dici possit, quod jactat Calvinus, pro se facere veteres Patres, et ad marginem scribit Augustinum et Chrysostomum. Nam Chrysostomus (ut monui) de numero non laborat: Augustinus autem sic loquitur in Enchiridio cap. 115. « Proinde apud Evangelistam Matthæum septem petitiones continere Dominica videtur oratio ». Et in lib. ii. de sermon. Domini in monte cap. 16. « Ultima, inquit, et septima petitio est, Sed libera nos a malo ». Et cap. 17. « Sed harum septem petitionum consideranda et commendanda distinctio est ». Et cap. 18. « Videtur etiam mihi septenarius iste harum petitionum numerus congruere illi septenario numero, ex quo totus iste sermo manavit ». Idem habet in homil. 42. extrema ex lib. l. homiliarum, ubi dividit orationem Dominicam in tres petitiones, quibus æterna, et quatuor, quibus temporalia postulantur. Viderit igitur Calvinus, ubi legerit in Augustino senarium petitionum numerum.

Accedit præterea etiam ratio, nam nisi petitiones sint septem, non erit oratio Dominica brevissima et plenissima, cum tamen a brevitate et plenitudine passim a sanctis Patribus laudetur. Non erit, inquam, brevissima, quoniam res eadem bis repetitur, videlicet: *Et ne nos inducas in tentationem, et, Libera nos a malo.* Non est autem credibile, Dominum, qui paulo ante dixerat, *Orantes nolite multum loqui*, nunc formam orandi præscribere, in qua res una et eadem diversis verbis, id est, duabus sententiis significetur. Neque erit plenissima, quoniam si idem prorsus sint, *Ne nos inducas in tentationem, et, Libera nos a malo*, non petemus liberari a malo præterito, sed solum a futuro, nec a malo pœnæ, sed solum a malo culpæ.

Tentatio enim, in quam petimus non induci, non est malum præteritum, sed futurum, nec malum pœnæ, sed culpæ.

Adde postremo, omnino congruere ut tot sint petitiones Dominicæ orationis, quot sunt dona Spiritus sancti, quandoquidem his petitionibus illa dona respondent, ut S. Augustinus demonstrat in ii. lib. de serm. Domini in monte.

Porro habet Calvinus argumentum ex particula « sed » non omnino despiciendum. Nam si duæ petitiones essent: *Ne nos inducas in tentationem, et, Libera nos a malo*, non conjungerentur per adversativam « sed », sed per copulationem Et; nunc autem ita dictum est, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*: ac si dictum esset, *Ne nos inducas in tentationem, sed erue nos a tentatione.*

Sed est præterea alia gravior objectio, quoniam Luc. xi. non habetur illa sententia, *Sed libera nos a malo.* Et S. Augustinus in Enchiridio cap. 116, dicit, ideo non fuisse additam a Luca illam sententiam, quoniam continetur in superiore. Atque hic fortasse est locus Augustini, ad quem respexit Calvinus, cum pro numero petitionum senario Augustinum citavit.

Respondeo: quod attinet ad particulam « sed » illam non esse positam hoc loco ad explicandum quod antea dictum erat: id enim supervacaneum videretur, et brevitati orationis repugnaret, sed ad aliquid majus significandum, et quasi correctionis quædam speciem præferat, quod clarius esset, si adderetur vocula « potius » hoc modo: *Et ne nos inducas in tentationem, sed potius libera nos ab omni malo.* Quomodo si creditori dicat, *Ne quæso repetas nummos, quos mihi dedisti mutuo, sed adde potius aliquot alios.*

Quod vero pertinet ad concordiam Matthæi et Lucæ, sciendum est apud Lucam in Latinis codicibus duas petitiones desiderari, *Fiat voluntas tua; et, Libera nos a malo.* Proinde non sex, ut vult Calvinus, sed quinque tantum futuras esse petitiones, si objectio illa locum habere debeat.

Primum igitur fieri potest, ut in Latinis codicibus incuria librorum desint duæ illæ petitiones, quæ integræ habentur in codicibus Græcis et Syriacis, et exponuntur ab Euthymio et Theophilacto in commentariis Lucæ.

Deinde fieri etiam potest, ut Dominus apud